

886. V, 3-6 — Bula do Papa Leão X, *Universalis ecclesie regimini*, pela qual se determinava, a pedido de el-rei D. Manuel, que ninguém fosse admitido a tomar o hábito de Cristo, de Santiago e de Avis, sem tença. Roma, 1514, Dezembro, 8. — *Pergaminho. Bom estado. Selo pendente de chumbo.*

Leo episcopus servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universalis ecclesie regimini dispositione divina licet immeriti presidentes ad ea libenter intendimus que regalium jurisdictionum et jurium conservationem ac regum commoda conspiciere dinoscuntur.

Sane carissimus in Christo filius noster Emanuel Portugalie et Algarbiorum rex illustris nobis nuper exponi fecit quod licet in statutis et consuetudinibus stabilimentis usibus et naturis Jhesu Christi et Sancti Jacobi de Spata ac de Avis Portugalie et Algarbiorum regnorum militiarum inter alia caveatur quod illis qui recipiuntur et admittuntur in milites earundem militiarum de sufficienti stipendio secundum qualitatem personarum a magistris dictarum militiarum pro tempore existentibus provideri debeat et hactenus receptis et admissis in milites militiarum hujusmodi juxta eorum qualitatem de hujusmodi stipendio provisum fuerit quia tamen quam plurimi fraudulentem et dolose ut judicium seculare evitare et maleficia liberius perpetrare et a vectigalium et aliorum onerum solutione facillius se eximere et privilegiis eorundem militum qui juxta stabilimenta predicta in earundem militiarum milites cum stipendio recepti sunt et in eis vere militant gaudere possent habitum per milites dictarum militiarum gestari solitum auctoritate apostolica vel etiam eorundem magistrorum sine hujusmodi stipendio recipiunt et loco dicti stipendii se proprio patrimonio contentos esse dicunt in grave jurisdictionis regie prejudicium cum audatores ad crimina ex quibus maxima oriuntur scandala perpetranda reddantur et efficiantur.

Quare prefatus Emanuel rex nobis humiliter supplicavit ut periculis et scandalis hujusmodi obviare aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignemur.

Nos itaque attendentes petitionem hujusmodi fore consonam rationi hujusmodi supplicationibus inclinati quod de cetero omnes et singuli qui contra stabilimenta predicta absque hujusmodi stipendio in aliqua dictarum militiarum habitum per illarum milites gestari solitum tam auctoritate apostolica quam de eorundem magistrorum licentia susceperint in criminalibus privilegio fori ecclesiastici gaudere non debeant nec a solutione tributorum vectigalium et aliorum onerum regalium vel personalium immunes et exempti existant auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo statuimus et ordinamus.

Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Funchalensis et dilectis filiis priori Sancti Crucis Colimbiensis ac officiali Ulixbonensis per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel

alium seu alios presentes litteras quotiens pro parte Emanuelis ac pro tempore existentis regis Portugaliae fuerint requisiti solemniter publicantes faciant auctoritate nostra illas ac in eis contenta omnia et singula inviolabiliter observari ipsumque Emanuelelem ac pro tempore existentem Portugaliae regem statuto et ordinatione ac aliis premissis pacifice frui et gaudere non permittentes eum per quoscunque desuper quomodolibet molestari contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio branchii secularis.

Non obstantibus felicis recordationis Bonifatii pape viij predecessoris nostri qua inter alia cavetur nequis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere aut alii vel aliis vices suas committere presumant et de duabus dietis in Concilio Generali edita ac aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus necnon supradictis statutis et consuetudinibus stabilimentis usibus et naturis iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis necnon quibusvis privilegiis et indultis ac litteris apostolicis eisdem militiis concessis quibus quoad hoc etiamsi ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscunque aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis statuti mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quarto decimo sexto idus Decembris Pontificatus nostri anno secundus.

Balbus
G. de Bilrabus
A. de Palatiis
G. Gratiani

P. Lambertus
Joannes de Red. bus
Joannes de Mantua
Evangelista

Bernardus

(A. E.)